



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 53. in blasphemos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



compassionem super infelicitate ac fragilitate omnibus agnata promerere. infanus iste pudor est ad delicti confessionem erubescere, atque ad ejus perpetrationem non erubuisse. infanus iste pudor est, magis hominem, quam conscium omnium oculum revereri, malléque incerti patris filium ac *individuum vagum* audire, quam nè ab auditione mala aliquando timere habeas, certum constantemque confessarium adire. Non ita filius prodigus qui ut in se reversus pristina agnovit flagitia, in hæc erupit verba: *ibo ad patrem meum!* non ad alium quam meum adibo Patrem & dicam ei: *Pater peccavi*, ut ex sincera peccati confessione non confusio sed germana gloria enascatur, est enim

Luc. 15. v. 18.

confusio, imò confessio adducens gloriam. ibo ad patrem meum, in-clamat enim Apostolus: *sed non multos Patres.* ad meum ibo, ut legitimum me filium comprobem & primam gratiæ stolam recipiam. dicat dicat quod libet, dicere certè debet, me hominem esse, imò quòd à lapsu resurgam fortior ac cautior, me plusquam angelum esse. Surgam ergò & ibo, nisi enim *ad Patrem meum* stabilem inquam confessarium ivero, vix à veteri lapsu seridò resurgam.

1. Cor. 4. v. 15.

\* \* \*

\*



## PHILIPPICA LIII.

In Blasphemos.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

*Hic blasphemat.* Matth. 9. v. 3.

§. 1.  
Blasphemia Lapis  
S. Chryf.  
hom. 3. de  
incomp.  
Dei natur.



Quod Ecclesiasticus c. 27. v. 28. dixit: *qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet,* exponit S. Chrystomus de blasphemis: *lapidem qui sursum jacit in excelsum, in suum caput jacit.* corpus cœlestis nemo jactu potest attingere, plagam autem suo capiti solet excipere, qui lapidem mittit in altum, cum lapis eodem redeat, unde ejectus est. *ita qui beatam illam blasphemat substantiam.* in blasphemum olim lata lex Levit. 24. v. 14. *lapidet eum populus,* cur lapidandus est? respondet Procopius in glossa: *quia is erat quasi lapis, lapidibus meritò ob-*

*ruitur.* cur lapidandus? ut sciat se lapidem in cœlum misisse, & à reciduo lapide vulnerari. Lapidem in altum misere judæi, cum de Filio Altissimi dicerent: *Hic blasphemat;* quo quidem dicto *Lapidem illum angularem* Eph. 2. v. 20. *Lapidem abscisum sine manibus* Dan. 2. v. 34. *Lapidem summum, angularem, pretiosum,* 1. Petr. 2. v. 6. minimè obtriverunt, sed ab eodem contriti, & æternæ damnationis calculo mactati sunt. in quem lapidem nè & nos contingat impingere, cauti aliorum damno discamus non blasphemare.

Blasphemiam definit Svarcz *verbum convitij seu contumeliæ in Deū,* quod vel à Deo removet, quod non

§. 2.  
Blasphemia quid;



& quàm  
gravis sit.

Deo cōvenit, vel attribuit Deo quod  
nō convenit. & hoc peccatum sine  
dubio gravissimū est juxtā S. Bernar-  
dini considerationem, quia in alijs  
peccatis nullus intendit divinam of-  
fensam, neque intendit se vindicare  
de Deo, si ve committat homicidium,  
si ve furtum, si ve adulterium, imō  
potius cuperet homo ejusmodi opera-  
ri itā, quōd non offenderet Deum. at  
verō in peccato blasphemiae dire-  
ctē Deum impetere temerarius ho-  
mo præsūmit. Meritō proinde  
contra blasphemiae crimen scripsit  
D. Hieronymus: *nihil horribilius  
blasphemiam, quæ ponit in cælum os su-  
um, omne quippe peccatum compara-  
tum blasphemiae, levius est.* confen-  
tit maximo Doctōri Orator Antio-  
chenus: *non est, non est, hoc peccato  
ullum deterius, sed neque parnam in  
eo accessio omnium malorum est,  
omnisque confusio, inexpiabile suppli-  
cium & intolerabilis pœna. Michaël  
cum Lucifero contendens, non est  
ausus iudicium inferre blasphemiae te-  
ste Apostolo Thaddæo, quia, ut ha-  
bet glossa, naturam in eo viderat an-  
gelicam licet contaminatam & re-  
bellem. si ergō angelus angelum,  
Michaël Luciferum, hostis hostem  
blasphemare non audet, quā fron-  
te, quo ore, quā insolentiā homo  
Deum laceffit?*

§. 3.  
Blasphem-  
ia est dia-  
bolorum  
idioma.

Hugo Cardinalis in illud Eph. 5.  
v. 3. *nec nominetur in vobis* hic inquit  
purpuratus Doctōr, *prohibet Pau-  
lus blasphemias, quæ sunt loquela im-  
piorum, loquela demonum est lingua  
blasphemiae.* Reprobi cantant cum  
præcētore suo, *Maledicite*, sicut bo-  
ni, *Benedicite*, & sicut per bonos lo-  
quitur Spiritus Sanctus, itā per blas-  
phemos spiritus malus. in cœlo pri-  
mus ille blasphemavit: *ero similis al-  
tissimo* Is. 14. v. 14. in terra itidem Gen.  
3. v. 5. *scit Deus: eritis sicut Dii*, ubi  
Deum & invidiæ arguit & menda-  
cij. De blasphemis Christus dixit Jo-

ann. 8. v. 44. *vos ex Patre Diabolo  
estis.* solet homo, ex qua patria sit,  
per loquelam cognosci, ut observat  
D. Bernardinus Senensis: *cogno-  
scitur Gallici ex loquela sua, Aleman-  
ni ex sermone suo, Itali ex idiomate  
suo, sic & reprobi homines ex blas-  
phemijs suis. o homines infernales, o  
tartarei cives, o consocij inferorum!  
cuilibet vestrum dici potuit, quod di-  
ctum est Petro: verè tu ex illis eras.  
omnes namque blasphemorum linguæ  
demonum fistula vel ora sunt.* hæc  
Bernardinus. cui consonat illud D.  
Hieronymi interpretantis verba  
Jobi: *de ore ejus lampades procedunt:  
blasphemi os diaboli sunt.* & Hu-  
gonis Cardinalis in c. 8. prov. *isti pro-  
priè sunt Apostoli diaboli, & dici de  
ipsis potest: loquebantur varijs lingvis  
pseudoapostoli magnalia diaboli.* me-  
ritō proinde Joannes Gerson affir-  
mavit: *blasphemia est idioma inferna-  
lis inimici.* De Antichristo homine  
peccati, ut ait Apostolus, prædixit Jo-  
annes Apocalypticus: *datum est ei os  
ad loquendum blasphemias.* à quo os  
accepit? à patre diabolo, cujus est  
filius, sūntque extra controversiam  
fratres ejus omnes blasphemii, con-  
tra quos iterum exclamat & repe-  
tit suum illud D. Bernardinus Senens.  
*nihil horribilius blasphemiam, quæ ponit  
os in cælum! o diabolici homines! o in-  
carnati demones! non mortui lauda-  
bunt te Domine, neque omnes qui de-  
scendunt in infernum* ps. 113. v. 17. hī  
sunt blasphemii, ait Incognitus hic,  
qui manducant linguas suas præ  
dolore Apoc. 16. ibi dracones blas-  
phemantium labia vorant, inquit  
Joannes Cassianus.

Ponderemus proinde culpæ  
gravitatem ex divina humanaque  
pœna. Lex nulla, inquit Procopi-  
us in 24. Levit. per annos bis mille  
quadringentos posita fuerat, quā  
plecteretur blasphemus, quōd vel  
cogitari de hoc crimine non debue-  
rit

S. Bernar-  
din. Senes.  
de pass. to.  
l. serm. 41.

S. Hiero-  
nymus in  
Jobi c. 41.  
10.

Joan. Ger-  
son. tr. 4.  
confid. 2.  
2. Thessa-  
lon. 2. v. 3.  
Apoc. 13.  
v. 5.

S. Bernar-  
dinus. ser.  
4. tom. 1.

§. 4.  
Pœna  
blasphe-  
morum.



rit, vel sufficiens poena proponi non potuerit. Posuerunt deinceps poenam homines nō modo fideles, sed & infideles. Mahometus enim infidelissimus canis (ut eum vocat & verba sequentia consignat S. Bernardinus tom. i. ferm. 41.) in Alcorano suo praecepit, quōd quisunque Deum & Christum & etiam B. virginem blasphemaret, medius divideretur. In Gallijs lex teste Nicolao Boerio statuta est, ut qui primā vice blasphematur, puniatur unius mensis jejunio in pane & aqua, & exponatur ludibrio, liceatque luto impetere usq; ad tertiam pomeridianam. secunda vice abscindatur labium superius, tertiā inferius, quartā eradicetur lingua. Justinus Imperator primo Imperij anno statuit linguam radicibus blasphemus evelli. in Concilio Lateranensi sess. 9. sub Leone X. celebrato decretum est, ut blasphemus nobilis primā vice viginti ducatos persolvat; si recidat in crimen, quinquaginta pendere jubeatur, tertio privatur omni nobilitate. plebejus primā vice ad carceres ablegator, secundā cum mitra infami totā die stare ante fores Ecclesiae jubetur, tertiā ad triremes amandator. Pius V. bulla 55. statuit blasphemum primā vice alligari ad fores Ecclesiae manibus post terga revinctis toto die festo. secundā vice fustigari per civitatem, tertiā excindi linguam, mittique si supervivat ad triremes. Justinianus imperator in Authentica: *ut non luxuri- entur homines.* novellā 77. itā habet: *precipimus Praefecto regiae civitatis ultimis subdere supplicijs illum, qui ipsum Deum blasphematur, propter talia enim delicta, & famis, & terra motus, & pestilentiae fiunt, ut non ex contemptu talium inveniat, & civitas & res publica per hos impios actus laedi.* Certē ex peccato blasphemiae ingentes redundare calamitates testa-

tur Gerson tom. 4. confid. 4. *peccatum blasphemiae est magna causa pestilentiarum, bellorum, famis, & aliarum tribulationum in Christianitate, & specialiter in nobili regno Galliae.* Propter Nicanoris blasphemiam caesa sunt non minus triginta quinque millia 2. Mach. 15. propter Sennacherib blasphemiam caesa sunt centum & octoginta quinque millia & interūt Monarchia Assyriorum 4. Reg. 19. Regi verō trucidato haec posita est inscriptio: *in me intuitus esto.* Omitto innumera alia blasphemiae enormiter punita exempla, quibus sacrorum profanorumque scriptorum libri pleni sunt, enormitatem potius hujus flagitij inde desumo, quod nec Mediator peccatorum Iesus Crucifixus, nec Misericordiae Mater Maria pro blasphemis deprecari dignentur,

Pro Crucifixoribus quidem suis, Iesum oranē audio, non autem pro blasphemantibus: *Pater ignosce illis quia nesciunt, quid faciunt.* Crucifixores hos spectat oratio, non calumniatores, quia non ait: *nesciunt quid dicunt, sed quid faciunt.* plus enim blasphemus Christum torquent, quā crucifixores; his veniae spes affulget, non illis. Moriens idem Redemptor caput, ut piē creditur, in dextram inclinat partē, quia ex blasphemij sinistri latronis tale persentiscebatur tormentum, ut libēter corpore toto se subduxisset, nī trabales clavi prohibuissent. *subduxit caput Christus,* Salmeronem recito tom. 1. *ad dexteram, ut piē credendum est, nē infelicissimum latronem blasphemantem audiret.* tunc eum dolores inferni circumdare visi, cum blasphemiae resonarent, à blasphemorum certē vocibus gravissimē cruciatus est, hinc illae naeniae: *super dolorem vulnerum meorum ad-* pl. 68. v. 27.

S. S.  
Blasphemorum  
Christus crucifixus  
non misere-  
retur.

unde



unde Job in persona Christi conquiritur c. 19. v. 2. *usquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?* & Jerem. 20. v. 10. *defeci ferre non sustinens, audi vi enim contumelias multorum.*

Audire Christus blasphemias debuit, aspiciere blasphemos Sol non potuit, atque idcirco in ipso meridie & plenilunij tempore quātus quantus eclipsatus est, observavit hanc eclipsis causam Matthæus, qui ubi blasphemias prætereuntium enumerasset, mox subjungit: *tenebræ factæ sunt super universam terram* Matth. 27. v. 46. alias indignitates Sol videre potuit, blasphemantium ora intueri non valuit, & quia nemo erat, qui vestimenta pro more scinderet, velum templi scisum est, fisisque sunt lapides, ut lapidarentur blasphemii, aut absorberentur vivi *videtur mihi Sol radios suos retraxisse*, ait D. Anselmus, *nè videret suum Dominum pendentem in cruce, aut nè impij blasphemantes fruerentur suâ luce.*

Quòd verò misericordiæ Mater blasphemis refugium non præstet, ex sinistro latrone colligo, de quo Lucas c. 23. v. 39. *unus autem ex his qui pendeant latronibus blasphemabat eum.* pro hoc Deipara non intercessit, ut verificaretur illud Matthæi 12. v. 31. *Spiritus blasphemie non remittetur*, & quod adoptivus Mariæ filius scripsit: *est peccatum*

*ad mortem, non pro illo dico, ut pro illo roget quis* 1. Joann. 5. v. 15.

Audite hæc blasphemii & cohorrescite, atque si sensus in vobis aliquis inest, Tertulliani, Nazianzeni, Augustini, (quibuscum finio) irrefragabiles sententias expendite: *dubitas illo momento omnes Angelos prospicere de cælo & singulos denotare, quis blasphemiam dixerit, quis linguam, quis aures diabolo adversus Deum administra-verit?* & rursùm: *Deus omnipotens blasphemijs lacinatur.* ita Tertull. lib. de spectac. & lib. contra Marcion. c. 1. *Post Pilatum Christicidam Christicidæ sunt omnes, qui contumeliosè adversum eum debacchantur,* ita Greg. Naz. orat. 3. in Julian. *flagellatus est Christus flagellis judæorum, sed non minus flagellatur blasphemijs falsorum Christianorum,* ita Augustinus tract. 10. in Ioann. unde non miror terribile illud fulmen jactari in blasphemos Tob. 13. v. 16. *maledicti erunt qui contempserint te, & condemnati erunt omnes, qui blasphema-verint te. Qui maledici nō vult, & à malo possideri, quemadmodum blasphemii Hy-menæus & Alexander, Paulo tradente, possessi sunt, discat non blasphemare.*

§. 6.  
Gravissimæ tres sententiæ in blasphemos.

